ORATIO
F. IACOBI RAYMVNDI
CARMELITAE GENVENSIS A GAVIO SACRAE THEOLOGIAE CANDIDATI

Ac totius sui instituti à secretis ad eiusdem familiæ Generalem Synodum in vigilia Penthecostes quo die Generalis Prior ab ipsa sufficiendus erat.



Romæ, apud heredes Antonij Bladij Impressores Camerales,
M D L X X X.



ILLVSTR.MO ET REVEREN.MO

D. PHILIPPO BONCOMPAGNO S. R. E. CARDINALI AMPLISS.

Summo Pœnitentiario dignissimo deque toto Carmelitico sodalitio Protectori optime merito.

F. Iacobus Raymundus Sacræ Theologiæ Doct. vniuersiq; Carmelitici Sodalitij à secretis summam exoptat felicitatem.

Miraberis Illustrissime, & Reuerendissime Domine, qui nullis tibi deuinctus officijs, nulla in re tibi usui fuerim, quinimò uix te uiderim, ita nunc ad te scribendum erupisse. Et equidem uereor, ne me nimis impudentem existimes, qui obscuro loco, fortuna infima, nullo ingenio apud te Cardinalem genere Illustrissimum, opibus, gloria, & uirtute or-

natissimum me in[illegible], [illegible] intellexissem eum te fuisse s[illegible]per, qui tantum nobilitatis splendorem tanta cum mansuetudine, gloriam cum humanitate, imperium moderatione coniunxeris. Admirentur alij quantumuis tuæ gentis summum honorem; obstupeant præclaras res gestas Maiorum tuorum, imperijque latitudinem. Ego etsi hæc maxima censeo; magni tamen facio ornamenta tua, & propria, quæ me ad te scribendum impulerunt. Apparent enim, quæ descripsi pastoris munia in te præstantissima, & clarissima. Immortalem Deum colis, Religionem tueris, quibus rebus nascitur opinio recti, boniquè viri. Iudicia tua nullis sunt corrupta perturbationibus. Lætatur [illegible] [illegible]udentia tua cognita, & probata: Quos p[illegible]s filios Carmelitas hortaris ad bene beateq. in religione uiuendum, eorum defendis honestatem, publicũ ipsorum decus omni via augere contẽdis, ad gloriam excitans, laudem virtute, ingenioquè quærendã instruis. Omnia tandem tua statuis ad publicum Carmeli commodum, vt bonam vniuersus noster cætus, integramque de te opinionem cõ

mendet. Quare illustrabitur oratio hæc, tuoq; egregio exemplo cōfirmabitur, vt nō mediocrem iucunditatem auditoribus afferat, legentiū animis summam delectationem tribuat, & ipse nō exiguam tamquàm ex semente mea capiam uoluptatem. Lege itaque Illustrissime, & Amplissime D. quàm humilis tibi seruus tuus exhibet, & dicat orationem, & simul vale munitissimū nostri sacri ordinis præsidium, & numen.

Dat. Romæ in Carmelo S. Martini in Montibus. Octauo Kal. Iunij. MDLXXX.

ORATIO

DE OPTIMI PASTORIS OFFICIO.

POSTQVAM illud mihi hodiè munus demandatum eſt, ea iniuncta prouincia, vt me candidiſſimi huius, ſacrique ordinis oratorem agere oporteat; ſummopere optarem (Illuſtriſſime & Reuerēdiſſime protector, ornatiſſime Carmeli Dux, voſque cæteri religioſſimi Patres) ea verborum copia, ea ſententiarum grauitate, illiſque immenſis eloquentiæ theſauris ornari, quos tùm animi mei lætitia, et pauca conferendi propè incredibile gaudium, tùm huius optatiſſimi, amœniſſimique menſis iucūda benignitas, quo paſſim variis coloribus depicti flores colliguntur, aptè expoſtulare videntur: efficerem equidem, vt ſi mihi ipſi ſatisfacere, temporis amænitati indulgere, veſtræque expectationi reſpondere minimè poſſem, eleganti ſaltem, illuſtri, ac propè diuino dicendi genere, quantum eruditiſſimum cō ſpectum veſtrum apud me extulerim, omnibus teſtatū eſſet. Verùm cum & uires me deficiant ad ea præſtanda, quæ ab alicuius dignitatis uiro omnino proficiſci deberēt, et ab ea felicitate orationis, qua poſſem vobis meum animum manifeſtare, longè abſim, uehementer commoueor. Excitat profectò me ad ſermonis ſinceritatē, ad dictionis venuſtatem, orationiſque vbertatem fragrantiſſima Carmeli

meli rosa;at pudor, quem mihi natura tribuit satis me cōmonere potest, ne tantum onus subire velim, ne ue putem de quo dicturus sum pro rei dignitate, atque suscepti muneris ratione loqui posse. Quid faciam? Silentium me in ingrati animi suspicionem vocare potest; oratio temeritatis nomen minatur. Quid agam? Compellor Patres, cum excitatissima nostra rosa me sui iuris habeat, qui in stoicorum verba nequaquam iuraui, à quibus hominum mentes nullis uexari perturbationibus, nullis concitari motibus, nulloq; commoueri affectu facilè creditum est. Oro igitur, qui totius Carmelitici instituti præsulem electuri adestis, quæ optimum Rectorem, ac moderatorem deceāt, me breuibus recensentem peramanter audire velitis.

Etsi plures, & eę quidem egregiæ, ac dissidētes artes singulari iudicio excogitatæ, multa industria inuentæ, summoque usu partæ aut pro ingenijs excolendis, aut pro animi amplitudine acquirenda, cùm pro dignitate tuenda, tū pro felici beataque uita comparanda hominum oculis in dies obijciuntur; nulla vnquam tamen, aut præclarior, aut magis ardua, ac laboriosior mihi visa fuit ea, quæ mortalium mentes ad eum manuducit finem, qui caduca, breuique interitura negligit, prorsusque contemnit. Eiusmodi est animarum regimen, pastoralis & Christiana sollicitudo. Cæteræ namque artes Dei nutu, & ope inuentæ intra naturæ septa clauduntur, corporum incolumitatem, nominisque gloriam meditantur: hæc æternam felicitatem, quæ Deo ipso fruitur non modo contemplatur, sed ostendit, nedum ostendit, sed quærit, assequitur, quinimo nulla vi, nullo metu, nulloque tempore ab ipsa seiungitur: illæ eos, qui præsunt, vt Reip. vel familijs consulant, industrios reddit, hæc, vt vitiis omnibus reiectis, & profligatis assidua pietate Deum homines colāt, aptè hortatur. Illæ si viros vna aliqua virtute præstantes effecerint, satis se suo iure fecisse videntur, hæc si quis ea vti voluerit, illum

omne

omne uitium respuentem, omniumq; virtutum ornamentis instructum requirit. Illæ, vt in aliquo decenti honestatis studio versentur, adhortantur hæc in iugi Dei meditatione nos detinet. Quod vt melius agat, modò rogat, modò carpit, nunc minatur, crebro pollicetur. Auet, pauet, molestat, delectat, spem affert, metum adiicit, nullum nõ mouet lapidem, ut omnes æternã fælicitatem cõsequãtur. Nec mirum (patres) architecti, Pastoris, Militis, Imperatoris, Agricolæ, Nautæ, Custodisque officio fungitur, labores omnium subit, existimat cui præsit familiam fidei cõmissam suæ, non potestati traditam, & illud ipsum, quod gerit officium, nõ ad vtilitatem suam, sed ad cõmune commodum vniuersæ societatis, aut si id non possit, ad salutem saltem bonorum esse referendum: quinimo ait tacitè, præses, vt prosis, plantas, ut riges, vt curam feras, vt tuas explices partes: illam munitissimam arcem dixerim, quæ inimicorum acerrimos ictus excipit, ut alios tueatur. O rerũ maximarum peritissima Magistra, ò singularium hominũ officiosum studium, ò improborum teterrimus hostis, ò salutaris diuini consilii custos. Tu homines Deo simillimos reddis. Tu eos rationem doces, qua peccatorum animas lucrentur, modumque tenes quo gratiæ vniantur. Verùm ad rem propius accedamus; vt si non omnia, saltem huius artis potiora munera contemplemur. Petro, cui summus ille preceptor gregem sui amantissimum administrãdum, regendum, fouendumque traditurus erat, iam tribus interogato uicibus; demum de singulari discipuli amore, & erga eum beneuolentia certior factus, munifice subdẽdo, respondit: Pasce Petre oues meas: Quam sententiam semel iterum, & tertio promulgauit, vt Rectoribus, & Pastoribus, qui Petri, & Christi sunt coadiutores, significaret quo pabulo, triplici nempe, oues pascendæ essent, pa-

ſce Petre oues. Exemplo, uerbo, & ſubſidio. Tota ſalutis noſtræ ratio in eo conſtituta eſt, vt vitæ officia, functiones, negotia a nobis ita ſuſcipiantur, ut diuina ipſa lex iubet, quod ſumma animi contentione tunc homines efficere conantur, cum paſtorem, animarumque ducem pręcellentem intuentur: ea enim eſt hominum natura, vt ad uitia longè propulſanda, & ad optimos mores conſectãdos, paſtoris, ac Principis exemplo, egregiiſque geſtis maximé incitentur: quo fit, vt nulla libidine, nulla impuritate paſtor ſine maxima gregis iactura inquinari poſſit: omnes enim ex illius uultu pendent, illius uitæ rationem ſequuntur, vt ſi minimam labem admiſerit, eam oculis obſeruet, in exemplumque facile traducant. opus eſt igitur, ut paſtor, ac Rector ſanctitatem colat, qua Deum immortalem propitium habeat. Mirum eſt profectò quãta probitatis ſit veneratio, eius maximè quæ coniuncta religioni, & integritatem à natura habet inſitam, & à cultu diuinitatis honeſtatem, ut quicquid perſuaderi uelit, dici non poſſit, quam facilis ſit omnium aſſenſus. Quod ſi nonnulli ſimulatæ probitatis viri falſa ſuperſtitione tantum ualet ad hominum mentes alliciendas, ut flectere, concitare, lenire, exaſperare ſoleant, quid in his eſt exiſtimandum, quorum eſt ſanctitas vitæ probata, & aperta, ſpectata integritas, & in medium expoſita? quantum in his elucet maieſtatis, quantum obſeruantiæ, & auctoritatis? fit etiam, ut in hoc genere hominum vel minima delicta uix credantur etiam manifeſta: in improbis autem uel maxima ſcelera etiã occulta pro compertis habeantur: quoniam more pecorum omni ſpreta religione, quicquid loquuntur, cogitant, faciunt, turpiſſimo voluptatis fine metiuntur; hi á publica gregis cura longo interuallo abiiciendi, cũ neque ipſi præclara, aut utilia gerere, nec ad ea gerenda oues hortari

audeant

audeant, aut si fuerint hortati, nemo est, qui assentiatur etiam honesta suadentibus. Nec pastori soli sanctitas coelnda est, sed vniuersæ familiæ suæ diuinitatis metus iniiciendus est, vt sacra celebrent, templa frequentent, cerimonias despectas non habeant, sacra prophanis, & æterna fluxis potiora existiment. Namque qui sanctissimo Deo quod suum est non persoluit, quo pacto Rectori ius suum redditurum censemus? valet itaque multum sanctitas in principe, & in subditis, qua in his metus, & gratia gignitur, in illo nulla res est in tam uario genere uirtutum, unde plus possit consequi laudis, auctoritatis, & fidei. Hæc, patres, rationibus probare possem quas consulto silentio inuoluam, & hoc solùm referam, oportere pastorem, vt sanctitatem colligat, omni cælesti sapiẽtia excultum esse, Iustitia præcipue, quæ si ei desit, integer profectò appellari non potest. Hinc ueteres Aegyptii principis collò ueritatem appendebant, ut in iudiciis statuendis semper oculis demissis, & sub clausis eam intuerentur. Nam qui amore, aut odio, aut spe, aut metu iudicat, is amplissima maiestate sua recedens, Rectoris, & Moderatoris officia peruertit. Quare illum praeclaræ Heracliti sententiæ mẽmorẽ esse oportet, leges nimirum vti muros esse defendendas; cum multo sit periculosius Respub. carere legibus, in quibus ueritas est abdita, quam urbem muris: earũ enim ope bonorũ auctoritas retinetur, improbę multitudinis temeritas retunditur, contentiones remouentur, alitur concordia, passim agitur honestum otium, omnia denique bona florent, & amplificantur. Seruare etiam debet Rector, quæ nulla lege sunt constituta, consensu tamen omnium probata, recepta, tum quæ ad consuetudinem referuntur, tum quæ ad ueritatem, vtilitatem, & honestatem pertinent. At quoniã sunt inter priuatos gradus quædam

honoris contentiones, ut alter alteri virtute, gloria, rebusque gestis antecellat, non debet pastor bonorum opinionem aspernari, ne qui propriis laboribus, rebusque gerendis plus sibi auctoritatis comparauerint a dignitate sua deiiciantur. Vetus profectò est illud Antisthenis tùm demùm perire sodalitia, cùm à bonis mali non secernuntur, ut illi sustinendi, ac ornandi sint, & perinde ac herbæ salutares rigandi, & fouendi, isti autem radicitus euellendi; vel vt res mitius agatur, saltem quædã depurgatio eis est adhibenda. Permagni præterea refert, quo consilio vtatur, si bonorum nil speciosius, & tranquillius agi potest; nil turpius si malorum. Inde familiarum salus, stabilitas, robur: hinc calamitas, tumultus, euersiones oriuntur. Eamobrem integritas spectata, cogniti mores, probata auctoritas, non vulgaris ætas minime paruipendenda est. Sic fiet, vt quia clarorum hominum sententia vsus sit pastor laudem cõsequatur, vt si maximè cupiant detractores, eius officium improbare non possint. Qui verò suo iudicio, nullius consilio facit omnia, hic aut Deus quidam inter homines habendus est, aut quod (magis arbitror) temerarius iudicandus. Parati erant olim Censores Romæ, qui pessimum quemque Senatu pellerent, quo officio, aut qua dignitate quid sanctius? floruisse illorum Rempub. uidemus, quamdiu bonorum consilia valuerunt. Accedit ad iustitiam sanctitatis exemplum ipsa clementia, quæ propria est viri præstantis, & mansueti, & magis nostram imbecillitatem quã legum seueritatem, aut sceleris atrocitatem cogitantis. Non tamen dicam obliuisci iniurias oportere, in priuatis quidem hominibus nil magnificentius, in principe uero si sibi factæ sint, nil salutarius quã ignoscere, ita nihil perniciosus, si in cæteros quàm negligere. Hæc si præstiterit, cõplexus erit prope omnes sanctitatis partes, quæ his in rebus fere tota versatur. Quod si

tanta

tanta integritas non detur in vita, vt perfecti ex omni parte simus, omniaque in nobis eluceant ornamenta virtutis; in hoc tamen studẽdum, & laborãdum est, vt quoniam naturæ imbecillitatem optimi esse vix possumus; tanto aptiores esse ad hoc præsidis munus obeundũ existimemus, quãto erimus uita meliores. De pastoris exemplo breui admodum sermone hæc pro temporis angustia complexus sum. Nunc de verbo Dei, quo ab ipso pascendæ sunt oues, mihi dicendum arbitror. Lectissimus profecto, & suauissimus est Dei verbum animæ cibus, proinde Christus in Euãgelio testatur solo pane hominis vitam minime sustineri, sed verbo Dei maxime indigere quo diuinus vates Dauid mirificè delectatus, nullam inesse melli dulcedinem existimabat, si cum huiusmodi pabulo in cõtentionem veniret. Sponsa in cãticis vita destitui prę gaudio prædicabat, cum dilectũ suũ colloquentem audiret. Maria Lazari soror immensa verbi Dei dulcedinę capta, dapum elegantiam, & ciborum suauitatem, quibus posset corpus reficere aspernata, à Magistri conspectu nullis neque minis, neque precibus remoueri poterat. Optimus pastor huiusmodi pabula ouibus apponet, in hæc veluti in amœna prata secedere compellet. Quod quidem summa prudentia, ut efficiat, oportet. Nam sunt tenelli agni, sunt oues fœtæ, sunt imbecilles, sunt firmiores, quibus idem cibus minime conuenit. Sũt qui lacte, sunt qui solido cibo iuuantur, qui ingenio valent, ad regularia instituta & Carmeliticam disciplinã statim percipiendam idonei sunt. Sunt nimis acres, & qui temerario ausu magno impetu feruntur. Sunt humiles, sunt elati. Hi omnes varia ciborum ratione alendi, instaurandi sunt, quam sapiens pastor præstabit ex verbo Dei. Verũ curam omnem adhibeat necesse est, vt vulnera sui gregis conspiciat, ut misericordiæ oleo, aut sœueritatis vino veluti Samaritanus al-

ter

ter leniat,monitis,præceptisq̀ue perstringat, & denuò coalescere iubeat. Denique bonus pastor, ac Rector gregē suū huius vitę subsidiis fouere debet. Fratres sumus omnes paupertatis sectatores, nemo nostrum aliquid suæ ditionis habet, nihil retinet, religio omnibus est, ne quicquam uel ipsa cogitatione veluti suum aliquis cōplectatur. Quare non video, quo ære, qua pecunia opitulari alicui pastor, licet optimus, possit. Verùm satis Rector uester suppetias omnibus feret, si rerum publicarum tutelam, patrociniumque suscipiet, si curabit, vt omnia recta fide administrentur, si nouerit se esse constitutum ad commodum, ornamentum, familiæque salutem. Si eius erit acerrimum studium cunctam Rempub. cui præest, veluti domesticam supellectilem componere, expolire, gubernare. Nam si vigilare quēque suis rebus honestum est, quanto magis conferens erit Reipub. prouidere, vt concordia, moribus, legibusque cumuletur? Hæc nostra Carmelitarum familia, quod vos minimè ignorare arbitror, ære alieno premitur, vt augustissimum cœptum templum cōstruatur, & perficiatur. Non memorabo Ecclesias nostras, & cœnobia ab hostibus fidei quassata, & penitus euersa, ut omnia fere elementa (prohdolor) rei nostræ bellum indixisse uideātur. O nimium afflictum, & propè desolatum Carmeli gregem, sacrumq̀ue institutū. Quæ damna? quas clades, non es passus calamitosissimis his temporibus? Quibus omnibus pro virili suo ingenio cōsilio, vigilantia, suo etiam sanguine, si id occasio tulerit, debet eligendus pastor occurrere. Deo profectò gratias immortales reddituri estis Carmelitæ omnes, quod summus Pontifex proprio excitatus impulsu, sapientem, prudētem, pium virum, ac pastorem Reuerendissimum Ioan. Baptistam Caffardum delegerit. Qua de re Beatissimo Papę Gregorio decimotertio exoptatæ diuturnæ vitæ salutem, ut à

Domino

Domino ueluti pupilla oculi sui custodiatur, persona sua tamquam vmbra personæ domini, sceptrum suum, tāquam uirga uirtutis suę sic fulciatur, sic maneat, sic obseruetur; ut omnes facilè credant, eum posse diuina ornatum virtute fulminibus iaculari impios, benedictionibusque replere pios. Illustrissimo Reuerēdissimoque Philippo optime merito protectori gratuletur vniuersus candidi Carmeli coetus; quod honorem, decus, gloriamque suam antiquam quæ omnia suæ fidei commissa sunt, talem ei proponēdo Ducem, non solùm seruauit sed exornauit, auctamque amplificauit, & illustrauit. Tu Domine indue eum in fortitudine brachij tui, vt hanc sacram Carmeli Ecclesiæ tuæ columnam firmiter sustineat, strenuè protegat, eique consulat, ut ad ipsum, tamquam ad tutum asylum in ærumnis, suisque necessitatibus confugere possit. Vos patres modo alloquor, pastoris optimi audiuistis munia, perpendite sedulò, accuratè excogitate quem electuri sitis in pastorem vestrū. Experti estis fore singuli desideratissimas Reuerēdissimi Caffardi partes, qui bonos viros non despexit, publicis cōsultationibus admisit, crudelitati assiduum bellum indixit, publicæ vtilitati inseruiuit, æquitati adhæsit, omnem curā adhibuit, ut incorrupte mores seruentur, vel citissimè reuocentur. Qui scelere affluunt, è vestigio ad meliorem frugem dirigere satagit. Si quis moerore animi afficitur, conflictatur, humanæ imbecillitatis rationem habet, sic in sui amorem, & beneuolentiam homines conciliauit, ut ipse non verear quin ipsum non solum eo dignū fuisse quod gessit, sed ad ampliora extollendum esse arbitremini, qui Reipub. Carmeliticæ custodem, præsidē, ac propugnatorem meminit esse. Vos autem R.M. ac fratres diffinitores, qui ex longinquis aduenistis oris, quo in statu Respub. nostra Carmelitica sit, optimè dignoscite, & quæ à uobis præstanda sunt, ne prætermittatis

mittatis

mittatis. Animaduertite, quantum familia vestra hæc longè sit ab ornamento studiosorum. Agite, vt suo prisco candori restituatur, illam prudentia, consilio iuuate: statuite, ut ingenuarũ artium pomeria prope sapientibus iuuenibus expoliata repleantur, illis exornentur commodis, quibus bonas disciplinas consequi possint. Eos ad grauissima rerũ studia concitate. Magnæ vestræ in eis erunt hæc charitatis monimenta quæ nulla vnquam capiet obliuio, laudibus, officijs, precibus, & quantum in ipsis erit ex animo vos iuuabunt, & colent. Ego verò quem tanta animi alacritate audiuistis, hoc à vobis expostulo, & per gratum Deo, Religionique carum fore polliceor. Dixi.

FINIS.

